



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Casvvm Conscientiae De Sacramentis

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

Antipharmacum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40295

Darumb wenn man beichten wil/so sol man nur allein die zehen Gebot für sich nehmen/ vnd sagen/wie man darwider gesündigtet habe.

Magnum discrimen fieri debet inter peccata, quae sunt contra Dei praecepta, & quae sunt contra praecepta, & mandata hominum. Nam sine praeceptis Dei, nullum peccatum cognosci potest: mandatis vero & praeceptis hominum non alligamur. Quamobrem, cum confitendum est, ad praecepta Dei solum attendendum, & dicendum, quomodo contra haec peccata sine admissa.

Antipharmacum.

APOSTOLVS Rom. 13. iubet vt politicae potestati subimus, non tantum *propter iram*, sed & *propter conscientiam*: ne scilicet transgressione legum ciuiliū, conscientia laedatur: at non laeditur nisi per peccatum. Ergo & id, quod in leges humanas delinquitur, peccatum est. Si peccatum, ergo in confessione aperiendum: quia morbus est: Et sanari debet. Vt autem sanetur, oportet, vt à Medico cognoscatur.

Quæritur XIII. Vtrum peccata purè mentalia in Confessione manifestari debeant. Respondet Lutherus in Tractatu, quem vocat *Confitendi rationem*. *An peccata cordis occulta, ac sic soli Deo & homini, qui fecit ea, cognita, pertineant ad Confessionem Sacramentalem, extra medium captum est. Libentissimè negarem.*

Antipharmacum.

CREDO equidem: cum enim non semel docueris, in cuiusuis arbitrio situm esse, vt quod velit in Cōfessione indicet; quod velit, supprimat; mirum non esset, etiamsi peccata occulta cordis à Confessionis tribunali ab-